

157.

Schiffen.

157.



V

0011

(alt Nr. 393.)

Sammelband von 57 Schriften theol.,
philos. u. jurist. Inhalts.
von Meier, J. Th.

P. VII. 89.



20
Q. B. V. D.
THESES POLITICÆ
EX ARISTOTELIS LIB. I. POLITIC.

CAP. III. & IV. DE PROMPTÆ,

Q U A S

Amplissimi Philosophorum Ordinis
indultu,

In Illustri ad Elmum Julia

PRÆSIDE

M. GEBHARDO THEODORO Meier

*Exercitii gratia publicè
defendet*

HIERONYMUS Brückner
Erfordiensis

ad d. xxix. Febr.

IN NOVI JULEI AUDITORIO MAIORI.



HELMESTADII,
IN TYPOGRAPHEO CALIXTINO
Excuderunt JOH. GEORG. Täger & MARTINUS Bogel
ANNO MDCCC LX.

O B V D
THESES POLITICAE
EX ARISTOTELIS LIB. I POLITIC.

CAR. III. DE IV. DE PROMPTA

Q U A E

Amplissimi Philosophorum Ord-

inis Indulgentia

In Illustre ad Eminentissimum

PRÆSIDIO

M. GERHARDO THEODORO

Exercitii gratia

habenda

HERONIMUS

Philosophicus

ad d. xxix. Febr.

IN NOTI JURE AUDITORIO MAIORI

1704

HELMSTADII

IN TYPOGRAPHIA CALIXTINO

Excubentur JON. GEORG. R. & MARTINUS DODD

ANNO MDCCIV





B. C. O!

THESIS PRIMA.

PRIUS de Oeconomia agendum, quam ad Politicam accedamus.

en 7e015

Est namque familia, quam administrare docet Oeconomia, pars civitatis, cui regendæ communes leges scribit Politica scientia. Et vero si cognitio totius dependet à partium cognitione, omnino prius de Oeconomia agendum, quam ad civilem doctrinam accedamus.

II. Oeconomia tot complectitur partes, quot partibus constat familia. *At vero*

III. Perfectæ familiæ partes sunt, herus & servus, & vir & uxor, & pater & filii. *Igitur*

IV. Tres Oeconomix partes constituendæ erunt, prima nuptialem, herilem altera, tertia paternam societatem regere docebit.

Duplex harum societatum, quas minimas alibi vocavimus, constitui potest finis. Communis & Proprius. Scilicet tendunt hæ societates proximè ad familiam, quapropter communis illarum finis idem erit, qui familiæ finis. Proprius autem variat, & quælibet peculiarem aliquem præfixum habet finem. Hinc aliâ ratione herilem, nuptialem aliâ, aliâ

A 2

pater-

paternam societatem administramus. Nam regere societatem nil aliud est, quam eandem ad debitum finem dirigere. Ubi igitur alius atque alius finis, ibi & alius atque alius dirigendi modus. Et hæc est causa, quare tot Oeconomix partes fecimus, quot partibus constat familia. Cætera theses per se perspicuæ satis sunt, nec aliquam explicationem postulant, modo duo adhuc notata fuerint. I. Ad familiam, qua familiam, tres sufficere personas: Maritum, Uxorem & Servum; ut vero familia sit perfecta, amplius requiri liberos. II. Paternam societatem in græco textu *πατριωτικὴν* dici, non quatenus liberorum suscipiendorum causa suscipitur (ita enim eadem esset cum nuptiali, quam procreandæ sobolis ergo institutam supra diximus) sed quatenus liberorum jam susceptorum curam habet. Curam enim natura homini indidit primum sui ipsius, quam per herilem societatem maximè ampliat: deinde speciei, tum per generationem eorum, quæ non erant (cujus gratia societas conjugalis) tum per eorum quæ generata sunt educationem, quam patria societas profitetur, uti habet Victorius ad h. l.

V. Tribus datis Oeconomix partibus alia addi potest, quæ in divitiis parandis & tuendis occupatur.

In familia præter personas res etiam habemus, quæ nomine *κτῆστας* ab Auctore significantur, (*Domus partes sunt: Homo & res familiaris seu facultates* i. Oecon. c. 2.) quapropter & ars *ἀγνηματικὴ*, in parandis, augendis & tuendis rebus versans, pars Oeconomix dicenda. Docebit proinde Oeconomia regere illas societates, ex quibus familia constat, nec non quomodo rem familiarem facere feliciter possimus. Esse vero *κτῆσιν* partem familiæ argumento est, quod

VI. Sine

VI. Sine rebus necessariis non possit neque vivi, neque bene vivi.

Hoc per se liquet, quapropter divitias necessaria vitæ præfidia vocare consuevimus. Illud hîc non negligendum, multa requiri ad benè vivere, quæ tamen naturam felicitatis humanæ haud ingrediuntur. Non statim sine quo quid esse nequit, est constitutivum rei. *Neque enim sanum esse, & id quo sine nequeat consistere sanitas, pro eodem reputari debent. Ita nec rectè vivere idem cum eo est, citra quod id nemo consequatur,* habet Eudemiorum lib. 1. cap. 2. Iunge his lib. 1. Eth. c. 7. & lib. 10. Eth. c. 8. nec non elegantissimum caput primum VII. Politic.

VII. Quælibet ars *ὡς ἑαυτὴν* sua propriaque instrumenta habet. Ergo

IX. Et ars administrandi familiam suis utetur instrumentis.

Per artes definitas quid intelligat Aristoteles variæ variorum sunt sententiæ. Giphano sunt illæ, quibus certum opus & finis certus est propositus, ut Medicinæ sanitas, Politicæ beatitudo civitatis, Oeconomix domus beatitudo, arti militari victoria. Quia igitur Ars regendi domum est definita, & vero quælibet definita ars sua habet organa, utetur & illa suis instrumentis. Requirit autem quælibet definita ars sua organa, quia alias opus illud, cuius gratia ars est, perfici nequit. Uti enim non quodlibet à quolibet fit artifice, ita nec artifex quodlibet per quælibet instrumenta conficere valet.

IX. Instrumenta alia sunt inanima, alia animata.

Ita gubernatori clavus in navi est inanimatum, proreta vero animatum instrumentum. Imo

X. Minister omnis in artibus artificii pro
instrumento est.

Omnia causa instrumentalis est instrumentum. Atqui
minister est causa instrumentalis, per quam agit artifex, veluti
causa principalis. Ergo minister omnis instrumentum erit.
Quamvis quidem discrimen sit inter instrumentum & causam
instrumentalem, nos tamen non inconcinnè argumentati fui-
mus; cum instrumenti nomine res v. g. malleus, securis, gau-
deant, sive quiescant, sive ad usum sint translatae; at causam
instrumentalem proprie tantum esse, quando usurpatur, ha-
ctenus nobis concedatur.

XI. Quicquid possidet Paterfamilias est
instrumentum vitæ. *Nam*

XII. Res familiaris est multitudo instru-
mentorum vitæ inservientium. *Ergo*

XIII. Servus, pars rei familiaris, erit Patris-
familias instrumentum, imo ὄργανον τοῦ ὄργάνου.

H. e. non instrumentum ante instrumenta, sed præstan-
tissimum instrumentum.

XIV. Servus est instrumentum animatū.

XV. Servo opus habet Paterfamilias, quia
instrumenta inanima ad jussum domini opera
sua conficere nequeunt.

Organa inanima si audire vocem domini, ejusque jussa
capessere possent, quemadmodum Dædali & Vulcani opera,
de quibus legi potest Erasmus in Adagiis, quæ sua sponte ad
certamina currebant, non opus foret animatis. Ast non pos-
sunt hoc præstare. Ergo opus est ministris. Pecten per se
pectere

pectere non potest, nec dolabra dolare, nec plectra cytharâ canere, sed requirunt organa animata.

XVI. Instrumentorum alia sunt Agentia, Efficientia alia.

XVII Efficiens instrumentum est, cujus præter usum est opus aliquod.

XIX. Agens instrumentum dicitur, cujus præter usum opus est nullum.

XIX. Actio & Effectio specie differunt

Ergo

XX. Instrumenta agentia ab efficientibus specie differunt.

Constabunt hæ theses omnes, modo discrimen quod agere inter & efficere est ex sexti Ethicorum capite secundo notatum fuerit. *Quisquis aliquid efficit, habet ibi textus alicujus id gratia efficit: neque absolute id quod efficitur, finis est, sed ad aliquid refertur, & alicujus est. Quod idem de eo, quod in actionem cadit, dici non potest. Actionis enim ultimum est actionis bonitas & præstantia. Capite quinto ejusdem libri §. 10. ita docemur: Effectiois alius, quam effectio, finis est: actionis vero non semper alius ab actione est finis. Est enim ipsa res bene gesta seu perfecta actio, actionis finis. Ex his argumentamur: Quæ fine differunt, specie differunt. Atqui Actio & Effectio fine differunt. Ergo natura differunt. Actio est ipse finis, in quo ut plurimum acquiescimus. Effectio non est finis, sed est propter opus, cujus rursus alius præterea est finis, ut ædificationis domus, & hujus inhabitatio. Uti autem actio & effectio, ita & instrumenta agentia ab efficientibus differunt.*

XXI. Vita est actio non effectio. *Ergo*

XXII.

XXII. Servus est instrumentum activum.

Servus naturâ suâ vitæ Domini deservit, nec per se ad opus novum producendum adhibetur, erit igitur instrumentum agens. Dicimus per se: nam per accidens servus & efficiens instrumentum esse potest.

XXIII. Uti pars non solum alterius, sed & omnino alterius est, ita & κτήμα. Ergo

XXIV. Servus, qui est ἐκ τῶν κτημάτων, non solum Domini, sed omnino Domini erit.

Multum differunt alterius esse, & omnino alterius esse. Rem exemplo declaramus: Liber homo, quando alium ope & consilio juvat, aut forsitan alteri operam suam locat, eo ipso alterius est, non tamen omnino alterius est; poterat enim, se salvo, non juvare, aut non locare operam. Id autem omnino alterius esse videtur, quod ex se & sua natura est alterius, nec esse aut servari potest nisi sit alterius. Ita pars ex se & sua natura est totius, nec esse aut servari potest, ni sit in toto. Manus abscissa desinit esse manus, uti supra docuit nos Aristoteles. Eadem prorsus est ratio servi naturalis, utpote qui incolumis esse & servari nequit, nisi pareat. Ergo non solum Domini, sed & omnino Domini esse dicitur. Ast

XXV. Dominus est quidem servi dominus, non autem omnino servi.

Dominus respectu habito ad servum talis est, attamen Dominus esse & servari potest, quamvis non dominetur, ideoque omnino servi esse negatur. Quemadmodum is, qui justitia universalis fulget, aliorū, non tamen omnino aliorū, esse dicitur.

XXVI. Homo secundum naturam non sui ipsius, sed omnino alterius, est servus naturalis.

Hæc

Hæc thesis vivis quasi coloribus servum naturalem de-
pingit, dum genuinam ejus notam exhibet, quæ est: per na-
turam alterius esse. Per naturam suus est, qui seipsum rege-
re, & commodis suis prospicere valet. Qui vero tam impo-
tentis est animi, ut sibi consulere non possit, ille est per natu-
ram alterius. Atqui servus naturalis nil valet ingenio. Ergo
per naturam est alterius. Dominari est actus rationis, quapro-
pter qui usu rationis destituitur, sui dominus esse nequit.

XXVII. Servus est instrumentum sepa-
ratum.

Instrumentum vel Coniunctum vel Separatum statuitur.
Coniunctum vocatur illud, quod coniungitur causæ principali
secundum esse, aut secundum operationem. Secundum esse
ut calor est instrumentum ignis ad producendum alium ignem,
& coniungitur illi secundum esse per actualem inhærentiam.
Secundum operationem, sive ut penicillus coniungitur picto-
ri solum secundum operationem, cum non possit operari, nisi
actu moveatur ab eo. Instrumentum separatum dicitur, quod
neutro modo coniungitur causæ principali, sed separatum o-
mnino ab ea potest operari & sine actuali concursu ejus. Ita
Servus opera & actiones Domini, sine ejusdem actuali influ-
xu vel concursu exsequitur. Vid. Anton. Ruvio in *l. 2. phys.*
tract. 4. qu. 1. n. 7.

XXIX. Dari servitutem naturalem & ratio-
ne & experientia constat.

Postquam servum naturalem delineavimus, ordinis ratio
efflagitat ut inquiramus, an ejusmodi servitus detur, præfer-
tim cum natura omnes homines velit liberos, & nonnulli Do-
ctores servitutem naturæ repugnare asserant. Thesis nostra
affirmativam tenet, ejusque causa ad rationem & experi-
am,

B

am,

am, fulcra omnis eruditæ veritatis, provocat, de quibus nunc
amplius despiciendum.

XXIX. Imperare & parere hodiè non modo
necessarium, sed & utile est.

Id si minus intelligitur, quanta nececessitas; quanta utili-
tas imperii & subjectionis sit, ex anarchia percipi potest. Quæ
enim domus tam stabilis, quæ tam firma civitas est; quam non
anarchia funditus evertit? Ex quo, quantum boni sit in or-
dine imperandi & parendi, judicari potest.

XXX. Quædam à primo statim ortu ita sunt
distincta, ut alia ad imperandum, alia ad paren-
dum videantur nata.

Quorundam indoli non nisi imperare, aliorum ingenio non
nisi subesse congruit, uti experientia docet. Ergo subesse alteri
contra naturam haud erit. Contra naturam enim id siveimus
dicere, non quod naturæ convenit, sed quod eidem repugnat.

XXXI. Imperiorum & subjectionum varia
sunt genera.

Imperans & parens ob communem & certum, quem respi-
ciunt, finem sociantur. Et vero quia finis multiplex est, erit &
ordo imperandi & parendi multiplex.

XXXII. Imperium aliud alio est præstantius,
quo præstantiores sunt parentes.

Naturâ ita comparatum est, ut non nisi præstans impe-
rare, minus præstans parere possit, hinc recte à præstantia pa-
rentium ad præstantiam imperantium argumentamur. Præ-
sertim cum ejusdem ordinis imperans & parens ad idem
tendant.

XXXIII. Quæcunque ex partibus sive con-
junctis

junctis five disjunctis constant, in iis & quod
imperat & quod paret cernitur.

xxxiv. Inanimis inesse & quod imperat
& quod paret argumento fit harmonia.

Ni oppido fallimur, Philosophus ita voluit argumentari:
Cujus rei simulacrum in inanimis cernere licet, id non erit
contra naturam. Atqui imperii & subjectionis simulacrū etiam
in inanimis cernimus. Ergo imperium & subiectio non con-
tra, sed secundum naturam sunt. Minorem exemplis decla-
ramus. In cantionibus harmonicis semper datur vox, Bassus
generalis, quam ut dirigentem omnes aliæ observant. In ar-
tefactis omnibus forma quasi imperare, & materia parere vi-
detur. Elegans præprimis simulacrum imperii & subjectionis
in horologiis habemus, quod attigisse sat est.

xxxv. In animalibus optime affectis anima
naturâ imperat, corpus naturâ paret.

xxxvi. In homine anima corpori imperio he-
rili; mens autem appetitui civiliter & regiè do-
minatur, salutis ergo.

xxxvii. Est homini in belluas imperium, ipsis
brutis utile & fructuosum.

xxxviii. Mas, ut præstantior naturâ, imperat,
fœmina ut natura deterior paret.

Argumentamur: Cujus speciem natura in partibus ani-
malium (2) in ipsis animalibus inter se consideratis (3) in sexu
deniq; animalium exhibet, id naturæ haud repugnabit. Uti id jus,
cujus simulacrum in brutis datur, naturæ non modo non re-
pugna-

pugnat, sed potius naturale jus dicitur. Atqui Imperii & subjectionis speciem eo, quo diximus, modo exhibet natura. Ergo non omne imperium aut subiectio naturæ repugnabit, sed potius conveniet. Minori lucem aliquam fœneremur necessum ducimus. I. De rerum natura non ex corrupto sed optimo statu est judicandum, quapropter cum quæritur, an aliquod imperium animæ à natura tributum sit, an vero corpori, non vitiosum, sed bene affectum animal spectandum. II. Tria in universum sunt imperii genera: Herile, Civile & Regium, quorum omnium schemata in homine observamus. III. Animæ natura imperium concessit in corpus, idque est herile. Quando anima imperare dicitur, non est sermo de potestate & actu externo, quomodo magistratus subditis imperat, sed intelligitur imperium improprie ita dictum seu per analogiam tale. Hoc ita esse, patet. Nam uti inter animam & corpus nullum intercedit jus proprie ita dictum, ita nec imperium; cum imperare sit jus exercere. Esse vero imperium animæ in corpus herile ita probatur. Uti servus nulla in re Domino refragari nec debet, nec potest, quia est simpliciter Domini, & non suus; ita corpus ejusque membra sine repugnantia officium exequentur, prout anima imperat. Et uti servus per se nihil agit, ita & corpus. IV. Alterum imperium Rationis est in appetitum, diciturque regium & civile. Est hoc, cum facultas obsequens potest resistere & refragari facultati imperanti. Atqui Appetitum rationi resistere posse, Medea hac vice testetur. Ergo. V. Imperium istud rationis naturæ non modo consentaneum est, sed & corpori & appetitui valde fructuosum. VI. Hominis in bruta dominium à natura est, quamvis appendix imaginis divinæ à Theologis statuatur. Dominium istud vergit in salutem & commodum brutorum, unde melius agitur cum iis bestiis, quæ sunt in potestate hominis, quam quæ remotæ multum ab hominibus in sylvis oberrant. VII. Aristoteles in

textu mansueta animalia feris meliora dicit, quia illa his magis utilitatibus hominum inserviunt, & ut loquitur Victorius, versantur in muneribus honestioribus, ut in agris colendis, in bello. II X. Marem fœminâ præstantiorem & digniorem esse lex Mosis, Lev. 27. probare videtur, quæ majori pretio marem quam fœminam æstimare jubet. Præstantiori vero in minus præstans naturâ debetur imperium. Hoc etsi verum, non tamen propterea imperium muliebri simpliciter repudiamus. Concludimus:

XXXIX. Si inter partes animalium, ipsaque animalia nec non in sexu est aliquod imperiû, consentaneum maximè veritati erit, & inter ipsos homines esse aliquod imperium.

XL. Qui hominum ad alios se habet, uti animus ad corpus, is est naturâ imperans; qui vero ad alios se habet, uti corpus ad animam, is est naturâ parens.

XLI. A quo nil nisi corporis usum expectare possumus, & in quo optimum est corporis ministerium, is se habet ad alios veluti corpus ad animum.

Corpus non nisi ad serviendum, ratio contra tantum ad imperandum nata, idcirco qui corpore multum, ratione nihil valet, ad serviendum modo factus videtur. Porro. Jumentum, quem nobis præstat usum, corpore præstat, igitur homo corpore robustus, animo autem infirmus est veluti bestia. Ex quibus sequitur, illos qui egregiis animi dotibus coruscant, solertesq; naturâ existunt, ad dominandû quasi natos esse.

XLII. Servus naturalis rationē eatenus parti-
cipat, quatenus sentiat ipsā, non vero habeat.

XLIII. Bruta rationem non sentiunt, sed
serviunt affectibus.

Notandum hīc hominem & physicè & moraliter, seu civi-
liter, considerari posse. Illo modo à ratione, hoc vero ab usu
rationis describi solet. Homo physicè consideratus non ad-
mittit gradus, sed omnes pari passu ambulant, nec sapientis-
simus Salomon magis homo fuit, quam quilibet de stiva Co-
ridon. Quatenus vero homo moraliter consideratur, admit-
tit gradus, ita ut civiliter nunc magis, nunc minus quis ha-
beatur homo, prout nunc magis nunc minus ratione uti po-
test & debet. Fit propterea ut servus naturalis suos habeat
gradus, ita ut in tantum quis sit servus naturalis, in quantum
moraliter homo esse negatur. Aristoteles eum gradum egre-
giè exprimit, quando servum naturalem rationem eatenus
participare docet, quatenus sentiat illam, non vero habeat.
Quot quia subobscurum paucis explicabimus. Et intelle-
ctus in homine, & appetitus est rationalis: διττὸν ἔστι τὸ λόγον ἔ-
χον τὸ μὴ κρείων καὶ ἐν ἑαυτῷ, τὸ δὲ ὡσπερ τὸ πατρὸς ἀκυστικόν,
habet Philosophus 1. Eth. Nic. c. 13. h. e. intellectus in se & sua
natura est rationalis, seu potius ipsa ratio; appetitus vero, per
naturam irrationalis, nobisque cum brutis communis, eate-
nus dicitur rationalis, quatenus rationem audit monentem.
Uti puer qui se ratione patris sui regi finit, dicitur rationem
patris habere, non autem veluti rerum mathematicarum, ita &
non alio modo appetitus noster rationis fit particeps. Bruta
unis affectibus ducuntur, cæcoque ipsorum imperu ferun-
tur, quia ipsorum appetitus rationem participare aptus natus
non est. Quemadmodum autem intellectus ad appetitum
hominis, ita Dominus naturā talis ad servum naturalem; &
uti

uti appetitus hominis ad brutorum appetitum, ita servus naturalis ad brutum se habent. Intellectus & Dominus naturalis habent rationem: appetitus hominis & servus naturam sentiunt quidem rationem, non autem habent ipsam: appetitus brutorum & ipsa bruta nec sentiunt nec habent rationem, sed affectibus rapiuntur, aguntur. Itaque participem rationis esse in tantum, ut sentiat quis rationem, non vero ut eam habeat, Aristoteli idem est, ac rationis usu destitui, aptum tamen nunc esse aliena ratione regi, eique patientes accommodare aures.

XLIV. Liberi & servi naturam tales saepe & corporibus differunt: his enim robusta, illis erecta corpora natura concessit.

Non quævis anima quodlibet amat corpus, sed pulchra anima pulchrum saepe sibi quærit hospitium, adeo ut corpus ejusque partium habitudo index animi Physiognomis habeatur. Tale quid in corporibus liberorum & servorum hominum notamus, utpote cum illis erecta, ad operas serviles inepta, & potius ad civilem vitam h. e. ad artes belli & pacis tractandas idonea corpora dederit natura. His vero corpora improbis laboribus, ad quos nati, ferendis paria largita est h. e. quadrata & jumentorum similia. In plerisque namque jumentis, quæ maximè usibus hominum inserviunt, molem aliquam corporis observamus. Præterea ut jumenta prona spectant terram, ita & servilia ingenia. Bene Theognis:

Erectum servile caput non nascitur unquam

Sed semper cervix huic resupina jacet.

Elegantiores homines os sublime gerunt, & erectos ad sidera vultus tollunt, nec quod ante pedes modo est vident, sed etiam illa quæ futura sunt, prospiciunt. Hoc enim est sapere. Porro Exemplum in rem nostram, sane ἀξιολόγον, indicandum erat,

erat, quod à Josepho *lib. 17. c. 18.* proditum est. Denique no-
tante in thesi diximus sæpe: nam

XLV. Aliquando contra accidit: ut hi quidē
liberorum habeant corpora, illi vero animos.

Hoc volumus, sunt & servis aliquando imbecilla, liberis
vero robusta corpora; nec non interdum & magnum corpus
Minervæ hospitium præbet. Exemplo esse posset Æsopus, *δο-
μοποιός*, modo unquam fuisset, de quo Viri doctissimi dubitant

XLVI. Si corpore præstantes imperio sunt
digniores, multo justius qui animo antecel-
lunt.

Ita à communi hominum sensu & judicio argumentatur
Philosophus. Vulgus non nisi eorum quæ in sensus incur-
runt rationem habet, ideoque principatum hominibus cor-
pore ejusque dotibus præstantibus potius, quam illis, qui ani-
mo solerti sunt præditi, decernere mavult. Jam vero

XLVII. Animi dotes vulgo ita perspicuæ
non sunt, uti corporis.

Legendus hic omnino Stobæi sermo LXVI, qui est de lau-
de pulchritudinis; nec non Alexander ab Alexandro *lib. 4. c. 23.*

Cap. IV

XLIX. Præter servitutem naturalem alia
est quam legalem vocamus.

Certum est & constat ex *l. VIII. Eth. Nic.* hæc tria, jus,
amicitiam & societatem semper esse conjuncta, nec non, uti
unum eorum se habet ita & reliqua sese habere. Jam vero ami-
citia, item jus est vel naturale vel positivum, ita & gratia ex-
empli paterna, nuptialis & denique, quæ nostræ est confide-
rationis, herilis societas est vel naturalis vel positiva h. e. vel
dependet à natura, vel vero à pacto seu instituto humano. Si
herilis

herilis societas est vel naturalis, vel positiva seu legalis, habebimus sanè & Dominos & servos, qui vel naturâ vel lege tales sunt. Verum audiamus potius Aristotelem docentem, qui ita habet:

XLIV. Lex pactum quoddam est, quo bello victa victorum esse ajunt.

Quicquid plures gentes non fortuito, aut altera alterius imitatione, sed quasi ex pacto sibi inter se constituerunt, id legis gentium dicitur. Atqui ut capti capientium hostium servi sint, pleræque gentes non fortuito, aut altera alterius imitatione, sed quasi ex pacto sibi inter se constituerunt. Ergo ut capti capientium hostium servi sint legitimum dici potest, & per consequens, quædam servitus erit legalis. Paucis. Bello capti sunt victoris, quos quando capiens hostis servat & in servitutem redigit lege Servi dicuntur. Multum hi distant à servis naturâ, adeo ut servi legales à servando, servi vero naturales à serviendo denominentur. *Servorum appellatio*, habet Pomponius l. pupillus ff. de V. S. *ex eo fluxit quod imperatores captivos vendere, ac per hoc servare nec occidere solent.* Intelligit servos legales, cum J. C. Romani naturalem servitutem haud agnoscant. Notandum præterea, legem illam, qua bello capti victoris servi constituuntur, vocari à Cyro apud Xenophontem ἀίδιον, à Dionysio Halicarn. κοινόν, à Polybio, Oppiano & Josepho, quos citat H. Grotius l. 3. de Jur. B. & P. c. 7. πολέμια νόμον. Denique non negligendum, bello captum fieri quidem servum legalem, non statim tamen illum, qui lege servus est, bello captum esse oportere. Plures multo modi sunt, quibus homines legitime servituti subjiciuntur, veluti nativitate, ex delicto & denique venditione I. Iniquum non habetur ut ex servis nati servilis sint conditionis. Nam si parentes sui delicto pœnam erant commeriti, poterunt

C

terunt



terunt eorum posteri qui sperabantur, (nati enim ante servitutē, servi non fiunt) ad vitam servandam obstringi servitio, quia alioqui exstituri non fuerant, argumentatur H. Grotius l. 3. d. j. B. & P. c. 14. §. 8. II. Nulla & iis fit injuria, qui quando capitis pœnam commeriti sunt sub perpetuo servitutis jugo laborare coguntur. III. Posse denique quempiam se suosque liberos vendere & liberè servituti subicere certum est, & lege Mosis *Exod. 21. v. 2. Levit. 25. v. 39.* comprobatur. Dicas, qui autem fit, quod Aristoteles hîc ubi de servitute legali differit, belli ejusque juris mentionem faciat. Resp. Hoc ideo factum, quod servitutis legalis prima origo fit ex bellis. Vid. Augustinus d. C. D. lib. 19. c. 15. p. 511.

XLV. Jus, quo bello victa victorum esse statuitur, multi Jcti accusant veluti oratorem.

In justitiam servitutis legalis dum inquirit Aristoteles, Jctos primùm producere voluit, qui servitutem legalem iniquam & injustam censent. Utitur autem in hoc negotio phrasi forensi Athenis valdè usitatâ. Uti ubique in Democratiis Demagogi seu Oratores multum possunt, ita & in Democratiis Græcis inque iis Athenis; ubi Oratores jus legum rogandarum obtinebant. Quando igitur Resp. aliquid detrimenti ex lege lata capere videbatur, Oratores tanquam iniquarum & injustarum legum conditores accusabantur. Hinc cum aliquid iniqui & injusti postulamus, proverbialiter illud veluti Oratorem accusare dicimur. Ratio, ob quam servitutem legalem iniquam censent, est, quia

XLVI. Iniquum est, & durum, ut is statim sit Dominus, qui potentiâ & viribus præstat; subsit autem & serviat qui est imbecillior.

XLVII. Alii, in quibus Philosophi, contrâ hanc

ex

ex bello servitutem rationi congruam dicunt.

Nam qui alterum virtute superat, illi in hunc debetur imperium. Scilicet uni virtuti deferimus sceptrum, & homini per & propter virtutem. Atqui

XLVIII. Victor victum in bello virtute superat. Nam

XLIX. *Primo*. Virtus cum vi magnam habet cognationem: & tum demum res maximæ geruntur, cum virtus cum viribus fuerit conjuncta.

L. *Secundo*. Id omne quod superat bono aliquo excellere videtur.

Aristoteles sine dubio hoc vult: Qui vi superat, virtute superare videtur, cum vis, magna etiam, absque virtute aut nihil aut parum laude dignum præstare possit. Loquantur hac vice rem nostram Tartari, qui ut examina apum hostem aggrediuntur, nec tamen superarunt, sed prudentia paucorum retusi sæpe sunt. Præterea omne quod superat bono excellere videtur; sive animi, sive corporis, sive fortunæ bono. Ergo & victores in bello bono illustri excellunt. Boni autem præstantia nil aliud quam virtus dici debet. Stat igitur Victorem in bello victum virtute superare, adeoque illi in hunc imperium deberi.

LI. Aliis hæc servitus ex parte justa, ex parte injusta judicatur.

His ipse Aristoteles annumerandus videtur, cujus mens, uti ex textu colligimus, hæc fuit. Quando de justitia servitutis, quæ ex bello est, quaritur, simpliciter eam nec justam

nec injustam pronunciare rectè possumus, cū aliquando justa, aliquando iniqua esse possit. Potest autem ex bello servitus justa quodammodo dici, quia legitima. Cum

LII. Omne legitimum justum.

Junge his caput primum libri v. *Eth. Nic.* ubi accuratè docemur omnia legitima quodammodo $\pi\alpha\sigma$ esse justa. Atqui servitus ista lege quasi introducta fuit. Ergo est justa.

LIII. Ex bello servitus simpliciter justa dici nequit. *Nam*

LIV. *Primò.* Contingere potest ut bellorum causæ non sint justæ.

LV. *Secundò.* Accidere potest, ut præstantissimi bello capiantur, quos tamen, quamvis servire cogantur, servos nemo dixerit.

Ita Aristoteles, cui per omnia hic non adstipulamur. Persuasum enim nobis est, posse omnes illos jure merito in servitute redigi, quos internecioni dare poteramus. At vero quosvis hostes, qui nobis nostræq; Reipubl. vitam ereptū veniunt, sive prudentissimi & præstantissimi hominum, sive minus tales fuerint, jure optimo internecioni dare, igitur & servituti subicere possumus. Quod postremum est opus misericordiæ & benevolentia. Merentur hic legi verba H. Grotii, quæ l. 3. d. I. B. & P. c. 7. §. 1. habentur. *Non soli, inquit, qui se dedunt aut servitute promittunt pro servis habentur, sed OMNES OMNINO bello solenni publico capti, ex quo scil. intra præsidia perducti sunt: ut ait Pomponius. Neque delictum requiritur, sed PAR OMNIUM SORS EST, etiam eorum qui fato suo, ut diximus, cum bellum repente exortum esset intra hostium fines deprehenduntur. Denique ex Sacro Codice huc faciunt ea, quibus*

bus

bus vel injustis & tyrannicis principibus obedire nos jubemur. Cæterum videre est

LVI. Adversarios gemina nostris docere.

Nam ipsis

LVII. Servi sunt duorum generum: alius ubique servus, alius nullibi talis est. Quemadmodum

LVIII. Nobilium alius est domi tantum, alius ubique nobilis.

Dum ita distinguunt Adversarii Aristotelis, non aliud docent, quam servitutem quandam naturalem dari. Quid enim quæso aliud est ubique servum esse, quam servum naturâ esse? Ideoque

LIX. Adversarii (*Aristotelis*) nulla re præterquam virtute & vitio definiunt servum & liberum, nobiles & ignobiles. Nam

LX. Ut ex homine hominem, & ex beluis beluam, ita ex bonis bonum nasci volunt.

Quamvis fortes creari fortibus & bonis, & in equis patrû virtus esse, nec imbellem columbam aquilæ progenerare dicantur, sunt tamen & Heroum filii noxæ. Nam.

LXI. Natura vult quidem hoc efficere sæpe, non tamen valet.

Elegans hic moveri solet quæstio, An Servitus sit contra naturam? Ubi ante, quam respondeamus, ex D. Thoma 4. sent. dist. 36. notandum, intentionem naturæ duplicem esse. Uno modo secundum intentionem primam; quemadmodum generationem intendit, corruptibilis naturæ conservatrice. Altero modo,

*quantum ad secundam intentionem : quo pacto corruptionem incen-
dit ut generet.* Servitus contra primam intentionem esse dici
potest, cum natura omnes homines liberos velit, & ut rectè
ratione utantur intendat. Nullatenus vero contra secun-
dam naturæ intentionem, sed potius tum maximè naturæ
conformis est servitus illa, quam naturalem diximus. Voluit
namque natura hominem liberum dare, aut impediatur; ne
autem nihil prorsus produceret, producit quantum & quale
potest, nempe servum. Res ex Physicis declarari potest.
Natura intendit perfectum hominem (quæ intentio naturæ
prima est) quia vero impeditur, producit quod potest, nem-
pe monstrum, quod quidem est contra primam, non tamen
secundam intentionem naturæ. Uti autem monstrum con-
tra naturam haud est, ita nec servitus. Contra naturam enim
quicquid est, id omne & primam & secundam naturæ inten-
tionem contraveniat, necessum est. Nec est quod dicas, ita
doctrinam nostram cum Jctorum placitis committi, cum non
eodem modo termini utrobique accipiantur. Jcti liberta-
tem dicunt facultatem agendi, quicquid licet, nisi quod vi aut
lege prohibetur. Nobis libertas dependet à virtute. Jcti
de actuali servitute loquuntur. Nos de inopia consilii servi-
tutem colligimus, non attendentes sive quis ratione actua-
lis servitutis liber sit nec ne.

LXII. Quidam naturâ nec liberi nec servi
sunt.

LXIII. Quidam naturâ aut planè liberi, aut
plane servi sunt.

Revocat hîc Aristoteles homines ad duas classes, quarum
primam conficiunt illi, qui mediocriter intelligentes & sapien-
tes sunt; Secundæ classis sunt, qui aut insigniter sunt sapien-
tes, aut summè stupidi, atque in his, habet textus, naturâ ali-
quid

quid definitum est. Scilicet hi aut servi aut liberi dici possunt, cum de illis nihil horum definire queamus.

LXIV. Ut liberi dominantur, servi pareant eo imperio ad quod natura sunt apti, utile non modo ipsis est, sed & justum.

LXV. Contra si aut liberi non dominantur & servi parent, aut alio, quam ad quod naturâ sunt apti, imperio utuntur, detrimentosum est utrisque.

LXVI. Prorsus uti corpori & appetitui, nec non rationi malè est, quando hæc aut nullo aut debito non utitur imperio.

LXVII. Est igitur inter Dominum & servum naturâ tales communio bonorum, ideoque & amicitia. Ast

LXVIII. Qui alio nomine seu titulo Domini & servi sunt, ii nec bona communia habent, nec amicitiam colere possunt.

Servus naturalis sua causa, contra servus legalis non sua sed Domini causa Dominis subijciuntur. Bene Soto lib. 4. d. Just. & Jur. qu. 2. art. 2. p. 103. *Qui naturâ est Dominus, nequit natura servus veluti rebus possessis in suum ipsius commodum uti: sed tanquam liberis sui que juris hominibus in rem ac bonum ipsorum, eos scil. docendo moribusq; instituendo. Quapropter neque illi tenentur veluti mancipia eis servire, sed equitate quadam & honestate naturali, nisi ubi essent mercede conducti.*

LXIX. Herile imperium & civile non est idem, uti nec omnia imperia. Nam

LXX. Aliter se regi sinunt liberi, servi aliter.

Et

LXXI. Herile regimen est monarchia, civile vero liberorum & parium imperium.

LXXII. Servus & Dominus non ex scientia, sed conditione naturæ æstimantur.

LXXIII. Dominorum alia scientia, servorum

alia.

Et

Et in Domino aliam quam, & in seruo aliquam, aliam tamen, requirimus scientiam. Hinc alicubi reperti, qui istas scientias alios docerent.

LXXIV. Operæ serviles partim sunt honestiores, partim sunt viliores. Ergo

LXXV. Servus seruo præstat, nec omnes sunt æquales.

Pleraque que quo magis sunt necessaria eo sunt viliora, & quo quid minus necessarium eo præstantius habetur, unde opera necessaria honestioribus & præstantioribus contradistinguuntur. Quia vero eorum, quæ præstat servus, aliud alio elegantius, hinc nec omnes servi eodem loco haberi possunt, sed: Servus seruo præstat, Dominus Domino, ut habet Homerus. De quo proverbio omnino Erasmus in Adagiis legendus.

LXXVI. Herilis scientia est quæ utitur servis. Nam

LXXVII. Non habere, sed regere servos, facit Dominum.

LXXVIII. Heriles scientiæ nihil magni aut præclari habent. Nam


LXXIX. Levia sunt quæ servis præcipere tenetur Dominus. Hinc

LXXX. Elegantiores, quique alicujus sunt conditionis utuntur administratore, ipsi vero aut Reipubl. operam dant, aut cum Musis se oblectant.

Notandum hinc I. Servorum alium esse *Administratorem*, aliū *Operarium*. I. Oecon. c. 5. Ille *ὄνητορος* Græcis dicitur, & curam domus loco Domini gerit, nobis enim *Berwalter*. Hic *ἐργάτης* vocatur, cui corporis manuumque labor incumbit. II. Veteres Græcos tribus rebus præprimis vacasse (1) Philosophiæ, (2) Reipublicæ (3) Mercaturæ. Illa studia nobiliorum, hæc ignobilium erat. III. Studium Philosophiæ homine libero maximè dignum esse.

F I N I S.







Q. B. V. D.
THESES POLITICÆ
EX ARISTOTELIS LIB. I. POLITIC.

CAP. III. & IV. DE PROMPTÆ,

QUAS

Amplissimi Philosophorum Ordinis indultu,

In Illustri ad Elmum Julia

PRÆSIDE

M. GEBHARDO THEODORO Meier

*Exercitii gratia publicè
defendet*

HIERONYMUS Brückner
Erfordiensis

ad d. xxix. Febr.

IN NOVI JULEI AUDITORIO MAIORI.



HELMESTADII,

IN TYPOGRAPHEO CALIXTINO

Excuderunt JOH. GEORG. Läger & MARTINUS Vogel.

ANNO MDCCC LX.